



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Audientia indicta testibus synodalibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

His ita gestis, cum iam hora esset tarda, censuit Illustriss. Dominus huic prima sessioni finem imponendum esse: ideo pro certa feria sequentis sessionis sententiam Patrum rogari iussit, & induci ad præscriptum.

Mox Reuerendi Promotores coram Illustrissimo Metropolitanu constituti pro rogitu actorum in præsenti sess. Cancellarium appellarunt, ad formulæ supra in Actis primi Conc. præscriptæ rationem.

Illustriss. verò Metropolitanus Mitra pretiosa deposita, assurgens solenniter Synodo benedixit, ac sacras vestes exuit: & assumpta cappa, comitantibus Reuerendiss. Episcopis ac Prelatis alijs quampluribus, præeunteq; Reuer. Capitulo ac Clero Metropolitanæ, per viâ subterraneam in ædes Archiepiscopales reuersus est.

#### Audientia indicta Test. Synod.

**D**e Sabbati duodecimo mēsis Maij Audientia in proxima publica cōgregatione Testibus Synodalibus indīcta, tabellis locis solitis publicè positis in hac verba fuit significata. Hodie hora decima octaua erit publica audientia Reuerendorum Testium Synodaliū Prouinciæ. Ex Cancellaria Archiepiscopali, Die 12. Maij 1582. Signat. M. Antonius Bellinus Cancell.

Hora indicta Illustriss. Metropolitanus huic audiētiæ vocavit sigillatim & secretō singulos Testes synodales, loquētes, & referentes, ac etiam interrogatio nibus per eum factis respondentes.

Post audientiam circiter horam vi gesimam secundā Illustrissimus Dominus Metropolitanus vocatis Reuerendissimis Patribus statam Congregatiōnem secretam in loco ad id constituto habuit, cui interfuerunt Reuerendissimi Domini Episcopi, Dertonensis, Cremonensis, Bergomensis, Brixensis, Astensis, Alexandrinensis, Albenensis, & Vintimiliensis. Congregatis omnibus, relatum est R. D. Paulum Granutium I. V. Doctorem Protonotariū Apost. procurato rem specialē in hac sancta Synodo nomine Per illustris ac Reuerendissimi Do

mini Io. Francisci Episcopi Vercelleni comprouncialis, nunc apud Serenissimum Rodolphum Imperatorem Sanctissimi D. N. Papæ, & sanctæ Sedis Apostolicae nuncij cum potestate Legati de latere adesse, & comparuisse cum literis ad Illustrissimum Dominum Metropolitano, & ad hanc sanctam Syndicū, à Reuerendiss. suo principali datis, quas vehementer optabat reddere, & præsentare.

Quod vbi intellectum est, fuit admisus & introductus, & primò Illustrissimo Metropolitanu, tum Synodo vniuersitatem cum reuerentia literas reddidit; quas statim Illustrissimus Metropolitanus & Reuerendiss. PP. Cancellario legendas dederunt, & sunt quæ sequuntur.

Literæ Reuerendiss. Episcopi Vercellensis Illustrissimo D. Metropolitano Viennæ Austriae scriptæ.

**I**llustriss. ac Reuerendiss. in Christo Pater ac Domine, mihi semper omni obseruantia colende. Etsi notam sati ac manifestam Illustriss. ac Reuerendiss. vestra Amplitudini esse causā noui, quæ mihi nè in Concilio isto Provinciali sexto ab ipsa legitimè indicto præsens ad similitudinem impedimento est: debeo tamen, ut Conciliij quarti decreto satisfaciam, excusationē mittere, certumq; procuratorem ecclesiasticum hominē istuc allegare, qui iustum & necessariam absentiæ meæ causam, exponat magis, quam probet; quique meo nomine, que cunque in Synodo ista ab Illustriss. & Reuerendiss. vestra Amplitudine de Reuerendiss. Coepiscoporum suorum, fratribusq; ac dominorum meorum consilio atq; assensu egerit, gesserit, constituerit, decreuerit, sanciueringe, suscipiat atque recipiat, omni cum humilitate, ac præcipuo obseruantia atque obedientia studio. Itaque Reuerendis D. Vicario Generali, & D. Beluisio Canonicō Primicerio Ecclesiæ meæ Vercelleni. & Protonotariis Apostolicis, utriusque, & eorum unicuique in solidum mandauit, ut istic ad decimum Maij proximè sequentis mensis diem Mediolani adiungat,

